

## DEDICATORIA.

eorum errorum ream illam peragere  
minimè dubitarunt? At verò hoc aus-  
det hodieque larvatus Benbellona  
noster: Quo fine? facile intelligit,  
qui aliquid intelligit: nempè ut sub  
hoc specioso prætextu, Calvinianis-  
mum viris Principibus astutè instilla-  
re valeat. Ecquis verò non detestetur  
dolosam hanc & plusquam impuden-  
tem istorum hominum palliationem.

Divus Lutherus noster, *quâ* inquit *vel*  
*conscientiâ, vel Religione esse putaveris*  
*quos sua ipsosmet fidei pudet, adeo, ut*  
*sub peregrino eam prætextu venditent.*

In Episto-  
la ad Fran-  
cofortenses

*Hec impietas geminum meretur infer-  
num: Vnum, quòd mendatio Verbum DEI  
depravant: alterum quòd fidem ipsi suam  
abnegant, & quam verbo DEI consentan-  
neam esse gloriantur, eam profiteri non  
audent.*

Iam si ad ipsam doctrinam Con-  
fessionis Augustanæ descendatur, &  
paulò accuratior ejus instituatür col-  
latio cum doctrina Calvinistica: DE-  
UM immortalem, quanta hîc sese of-  
fert discrepantia? quanta cõtrarietas?

b

Articulus